



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**De Vita & Rebus gestis P. Petri Canisii, De Societate Jesv,
Commentarii**

Sacchini, Francesco

Ingolstadii, 1616

Romam venit ad creandum Præpositum Generalem.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41515

uentum creando tandem Generali Præposito
 Non defuere Hæreticorum è fabulatoribus, qui
 ad ignauia confladam infamiam rumorem dis-
 siparent, turpem sibi eum necis formidine con-
 sciuisse fugam, nec, si moram faceret, diu fuisse
 victurum. Quanquam, vt ex se de illo existiman-
 tes, exitu rerum perspecto, talia finxerint, forte
 concedi potest. Nam quanto cum ciuitatis
 commodo recesserit, quanta repente commuta-
 tio in deterius facta sit, intelligere est ex literis In-
 golstadiani Rectoris. Miseri, inquit, Straubingen-
 ses nunc decipiuntur abrepto à nobis Patre Ca-
 nisio, qui non mediocrem laudem apud Deum
 & homines illic emeritus est, Hæreticorum ma-
 leus, Firmamentum Catholicorum; portus, pra-
 sidiumque Germaniæ, quem doleo abesse ab illa
 Ciuitate, cuius casum, & interitum lugent om-
 nes, qui Germaniæ tranquillitatem, pacemque
 optant, & precantur.

*Romam venit
 ad creandum
 Præpositum
 Generalem.*

Medio circiter Maio Romam cum attigisset
 egregiam contulit operam præparandis iis rebus
 quas præuerti Comitibus oportebat, vt primus ille
 Ordinis conuentus, in quo præter creationem
 Præpositi, recognoscenda multa, & permulta
 fancien-

fancienda erant, rectè & commodè haberetur. In his Comitiiis mos est ex beati Ignatii ductus institutis, vt quo die eundum est in suffragia, eo die ad omnes, quibus suffragij latio est, in vnum congregatos, de corpore ipsorum Pater, quem iidem arcanis ante suffragiis destinarint, orationem latinam habeat loco, temporiq; accommodatam. Prima hæc in hoc genere, & sane grauis dictio in tanta præstantium virorum copia Petro Canisio demandata est: nec minore assensu est auditus, q̃ consensu lectus Orator. Nimirum id affirmari ferme licet de eo, quod sibi met euenisse B. Augustinus tradit: quocunq; loco interfuerit, vbi inter multos ad dicendum idoneos, ad vnum essent deferendę dicendi partes, nunquam nõ ad ipsum fuisse delatas. Sexto Nonas Iulias, quem diem inuisens Elisabetham Deipara consecrauit, Iacobus Lainius creatus est Præpositus Generalis. In res inde Societatis publicas, priuatasq; ordinandas curæ versę, eo maximè opportunis Canisij consiliis, quod longo vsu, & magnitudine sapientiæ rerū ad septentrionem statum vnus omnium perspicitissimum habebat: nihilo tamen secius in sancto illo coetu diutius ei pacato federe non licuit.

Orator Comitiorum deligitur.